



100  
115

ov B.



DE  
PRINCIPII MORALIS SUPREMI,  
FORMALIS, FIRMI UNIVER-  
SALISQUE  
UTILITATE

AC  
NECESSITATE

DISSERIT,

**ET** AD EXAMEN ANNUUM

ET

ACTUM ORATORIIUM

GYMNASII,

QUOD CLIVIÆ EST,


A. D. XVI. XVIII. AUG. MDCCLXXX.

HABENDA,

INVITAT

C. F. W A C H T E R,

GYMNASII CONRECTOR.



CLIVIÆ,  
TYPIS MOELLERI.

*Dixit Borgia de expeditione Gallorum in  
Italiam, eos venisse cum creta in manibus, ut  
diversoria notarent, non cum armis, ut per-  
rumperent. Itidem & nostra ratio est; ut do-  
ctrina nostra animos idoneos & capaces subin-  
tret. Confutationum enim nullus est usus, ubi  
de principiis & ipsis notionibus, atque etiam de  
formis demonstrationum dissentimus.*

Fr. Baco in nov. Organo Aphorif. XXXV.

L 153,





**C**um homo generandarum actionum vim habeat, recte iam quaeritur, sitne quaedam lex suprema, id est, quæ reliquas omnes contineat? cui homo parebit & obediet non propter aliud, sed propter eam ipsam in generandis actionibus? Cuius cognitio, cum ad vitam degendam momentum maximum haberet, quia, vitam plenam errorum ac perturbationum fore, Aristoteles iam monuit, nisi habeamus certum aliquid, quo tendamus & ad quod omnia dirigamus, proposuimus tractare de rationalis ethicæ principio formali, firmo universalique, & lege morali suprema. Ante vero, quam ipsam disquisitionem aggrediar, videndum est, quæ sit ea lex? & quid principio supremo formali firmoque velim intelligi?

Nec ignoro varias fuisse philosophorum de  
a 2 rebus

rebus his sententias ; omnes fere autem consentiunt : & legem moralem & ethicæ principium esse ; dissentiunt tantum inter se in explicanda officii humani origine , & ratione legis , per quam hæc humanam voluntatem vel ad agendum vel non agendum movet & cogit. Certam quandam legis formulam composuit , mea sententia , cel. Kant ; & eam quidem plenam , accuratam atque accuratam. Principium morale firmum constituit , quod ille formale practicum rationis puræ principium vocat. Hoc optimum est , quod constitutionem certam legum moralium potest efficere. Priusquam autem hoc illustro , nonnulla alia sunt præmittenda.

Ethica , qua scientia , leges a ratione practica absolute necessarioque voluntati imperatas proponit ; est ea legislatio absoluta puraque omnibus ratione præditis ; doctrina est , quæ ad optimam vitæ rationem conducit.

Voluntas est , quæ quid cum ratione , certis legibus consentaneum , efficit , aut efficere vult.

Quod ipsum per suas actiones voluntas existere vult , est scopus s. finis.

Scopus , quem voluntas non propter aliud , sed gratuito propter eum ipsum persequitur , est for-



formalis, quia per formam ipsam rationis præscribitur. Hic est supremus (Endzweck) & absolutus, si reliquos omnes continet, & in summum bonum tendit.

Scopus est materialis relativusque, si expetitur aliquid, propter adfectionem & cupiditatem.

Bonum, (das Wohl) respectu sensuum dictum, est, quod voluptatem adfert, quam sensus accipiens incunditate quadam perfunditur. Malum, (das Weh) hac significatione, est, quod dolorem adfert. Hoc bonum & malum semper experientia cognoscitur; quia a priori nescimus, quæ res sive voluptatem sive dolorem excitare possit.

Bonum, (das Gute) & malum, (das Böse) respectu actionum libertatis dictum, solum a priori diiudicari & in actionibus perspici potest; non in sensibus, sed in ratione est collocandum; non cupiditate sed ratione est diiudicandum bonum, hac potestate, omnibusque ab naturis ratione præditis expetendum; malum autem ab iis fugiendum est.

Principium practicum formale est, quod voluntatem per conceptus universales a priori vel ad agendum aliquid vel intermittendam promo-

vet, & quod regulas plures practicas continet. Quod principium vocatur lex, si voluntatem cuiuscunque ratione præditæ naturæ obligat. Hæc est tantum regula, nisi voluntas omnium rationalium obligatur.

Omnis virtus in ratione practica fita est. His præmissis ad propositum revertimur.

Difficile, ut opinor, est dictu, an hominis actiones unquam ex animi sententia & delibere legibus congruenter convenienterque vivere, profectæ sint? an ex proposito officii faciendi voluptates repudiatæ & molestiæ non recusatæ sint? an convenientes officio actiones re vera, detracta omni utilitate, sine ullorum præmiorum fructuumque expectatione, hoc ex proposito emanaverint? Quis enim est, qui non videat, hæc sine omniscientia scire non posse.

Multi adeo, & de hac sanctitate & de eius possibilitate, dubitaverunt. Quod hunc scepticismum moralem attinet, non est, ut aliquid commemorem; quod principium ethicæ per illum constitutum non est. Leges morales, etfi omnium ratione præditorum naturæ insunt, auctoritatem apud omnes naturas, quæcunque ratione gaudent, habere debent, & eis ab omnibus intelligentia præditis obedientia præstanda est;



7

est; nec non ex notione rationalis naturæ sunt derivandæ; tamen in illis hominum voluntati adplicandis tantæ difficultates inventæ sunt, ut non raro, leges morales puras possibiles esse, philosophi dubitaverint. Constat itaque inter omnes, leges a ratione a priori illos non derivasse; sed plerumque anthropologiam cum morum doctrina pura permiscuisse. Illa autem nihil est aliud, quam traditio systematica veritatum moralium, quæ efficiant, ut principia practica pura, quæ ethica tradidit, ad hominum naturam adplicari possint. Itaque mihi non factis videntur considerare, quid intersit inter has doctrinas. Ita fit, ut quanta differentia est in principiis naturalibus, tanta sit in constituendis principiis moralibus dissimilitudo. Tradita sunt principia, quæ habita sunt pro moralibus, sed tamen non fuerunt. Supremum principium ethicæ creditum est in natura & generalibus hominum relationibus, aut fortasse adeo in fortuitis conditionibus relationibusque reperiri. Hæc autem principia eiusmodi tantum præcepta dare potuerunt, quæ nisi sunt sensuum conditionibus. Hæ sunt disciplinæ, quæ per proposita principia officium omne pervertunt; quæ virtutes suis commodis non bonitate & valore interno metitæ sunt; non enim

opi.

24

opinione, non sensibus sed natura rationis constitutum est officium. Principium autem formale si ignoratur, vivendi & officii rationem ignorare, necesse est. Ex principiis enim materialibus solæ sunt technico-practicæ regulæ derivandæ pro legibus moralibus.

Facultates etiam hominum sunt a philosophis commutatæ. Quia rationem obligationis legis moralis habere sanctionem in voluptate aut dolore putabatur, ad voluptatem omnia relata sunt, omniaque, quæ hanc efficerent, æstimatione aliqua digna dicta sunt; sed sic vis judicandi legislator esset, qui tamen ratio esse debet. Cum naturæ præcepta & leges libertatis, intellectus & rationis principia permixta sint, etsi rationis principia ab omnibus ipsius intellectus conceptibus regulisque distincta sunt, non est mirandum, quia inveniebatur, cum adpetitione semper dolorem aut voluptatem connexam esse, voluntatem etiam utilitatis causa ad expetendum permoveri & solum per voluptatis & doloris sensus incitari, creditum est; etiam, quia actiones virtutum essent naturæ jucundæ, voluntatem igitur delectari usu virtutum. Sic voluntas empirica pathologicaque vel facultas propter empiricas ab



vi sentiendi dependentes repræsentationes, obiecto quodam extra nos posito, agendi permixta est cum voluntate pura, absoluta liberaque, quæ per principia rationis puræ, per leges puras morales movetur ex puris conceptibus legum, quæ ex folis legibus moralibus agendi aliquid in vita & officii ipsius ortum repetit, sine sensu antecedente sive voluptatis sive molestiæ, sine consilio ullo per hoc obsequium cupiditati satisfacere, sine ulla spe propofita, sine ulla nec præterita nec præfenti nec expectata voluptate. Cum omnes morales actiones commodum adiuuare & voluptate, quæ cum quadam obiecti repræsentatione connexa est, niti debere, putaverint, etiam quæstiones de ethicæ principio prave directæ sunt. Utilitatis autem causa agere, a principio vero & practico non probatur; nec virtutibus nec legibus usquam locus esse potest, si ad utilitatem voluptatemque omnia referuntur. Hoc consilio ratio illa tantum esset interpres, non legislator legis practicæ, & tanquam ars conquirendæ & comparandæ voluptatis, sed sensus iucundi esset legislator; virtus subiecta esset variis incertisque casibus, & famula fortunæ. Sic lex nec constituta a ratione, nec

absolute necessarioque voluntati omnium dicitur, sed empiricæ originis effct.

Hunc moralem empirismum duæ sectæ philosophicæ docent, quæ prave philosophorum nomen sibi vindicant. Prior quæsitit id, quod voluntatem ad agendum concitet, aut in ad-  
quisito aut in extorto voluptatis & molestiæ sensu. Hanc rationem artificialem obligationis moralis aut in educatione, aut in consuetudine invenit; proprium morum autem putat studia esse, ut Montaigne, aut in societate & opinione constitutum esse officium dicit, ut Mandeville, aut in utrisque.

Secta altera principium morale a natura petit, atque nulla alia in re, nisi in natura hominis in sensibus innatis voluptatis molestiæque quærendam esse obligationem legis, affirmat. Hæc quidem certum impulsum ad legi obediendum putat, & quasi principium sensuale practicum innatum; sed in hoc explicando in duas eunt partes. Altera, hominem per sensum moralem internum ad observandam legem moralem cogi, credit, & virtutem immediate cum voluptate coniunctam, & felicitatem ei propriam esse. nec posse auferri. Altera per sensum physicum externum hominem impelli docet,



docet, & actiones legi convenientes esse, & per eas maximas voluptates in supremo gradu longissimoque tempore effici. Voluptas corporis huic systemati est summum bonum, ad quod omnia referri oporteat. Epicurus auctor huius doctrinæ docet, omne animal natum esse, ut voluptatem adpeteret, doloremque adspernaretur, & quantum posset, a se repelleret, ipsa natura incorrupte atque integre iudicante, & quid bonum sit, aut quid malum sensu iudicari; itaque negat ratione opus esse, quamobrem voluptas expetenda, fugiendus dolor sit.

His in commemoratis doctrinis principium practicum & leges universales non inveniri, quis est, qui nesciat? nam prior secta quidem virtutem dicit, re vera autem tollit; altera obligationem legis moralis e voluptate derivat, quae in observanda illa adsequitur. Hæc voluptas autem semper subjectivâ est, nec in sapientis potestate, non humanis studiis adquiritur, sed fortuito sæpissime contingit; determinatio enim officiorum materialis cognosci modo ex experientia potest, nunquam igitur derivari ex illa legem posse, quæ omnes naturas obliget, per se patet.

Ter.

Tertia propterea secta philosophica principium morale in perfectione ponit; sed in constituenda significatione vocabuli *perfectio* differunt. Nonnulli earum partium definiunt: eam statum rerum esse, per quem excitant voluptatem: aliis est perfectio, voluntatis convenientia cum rationis legibus. Sed hoc loco est quærendum, quamobrem voluntas cum his legibus consentire debeat? Cur hæc sit perfectio? Aliis est, quousque natura suis bonis fruitur: aliis, quod propter se semper, nunquam propter aliud expetendum; aliis denique est consensus cupiditatum facultatumque ad finem communem & ultimum. Sed quis est hic finis, cur est expetendus? Mihi autem nihil tam perspicuum videtur, quam sententias horum philosophorum a prioribus, verbis magis, quam re, dissidere; nam omnis perfectio a sensu pendet, & his de causis perfectio non potest principium morale esse, & quæstio manet, quam obrem sapiens stoicorum vir bonus fit? Finis subiectivus autem, qui actionem antecedit, & ad quem efficiendum voluntas determinatur, semper est empiricus, itaque non certus, non constans; & ab hoc fine peti non potest agendi principium, id est, officii; quia

ratio



ratio adpetitionis legem voluntatis antecedit; quia etiam vocabulum perfectionis multas significationes habet, non recte adhibetur ad principium morale constituendum.

Nec principium quartæ sectæ quod in Dei voluntate positum est, probari potest, nam qui Dei voluntati paret, sine antecedente principio practico ab idea eius non dependente, ob quandam voluptatem, quam obedientia erga Deum ei adfert, agit, & trahit ab illa officii originem. Itaque in diffensione omnium philosophorum erat emendatore principii moralis opus; quia homines imprudentes, ac de officio non cogitantes temerarii que facile scepticismum moralem arripere possunt; correctore opus erat, qui monstraret & universalem, absolutum finem, summum bonum, & universalem, absolutam, necessariam causam efficientem rationis, & universalem, absolutamque atque necessariam conditionem, cuius ope voluntas, ad obediendum legi morali, summum bonum adipiscendum, & ab rationali causa efficiente moveri, contra obstacula omnia stare, ut nullis nec suppliciis nec præmiis dimoveri possit. Hæc omnia præclare præstitit cel. *Kant* in libris, quorum inscriptiones vernaculo sermone conscriptorum sunt.

*Grund-*

*Grundlegung zur Metaphysik der Sitten*  
 Rig. 1785. Et *Critik der praktischen Vernunft*.  
 Rig. 1788.

Lex universalis rationis practicæ est : age secundum rationem puram! Datur quidem eius modi ratio, in qua principia rerum agendarum insunt; sed in homine conjuncta est cum sensu, qui ex animo constat & corpore; itaque *Kant* legem moralem etiam sic exprimit; non nisi secundum tales leges, quas universales esse velle possis, te agere oportet.

Hanc ita formulam *cel. Kant* exprimit, quia lex moralis ad hominem refertur; voluntatem hic quidem puram habet, quia habet rationem, sed præditus est sensibus propensionibusque & multis rebus indiget. Formula legis moralis est: age secundum rationem, quæ lex primaria est; nam ratio suapte natura legem sibi statuit, in qua voluntas ab sensuum conditionibus libera consideratur, & ratio pura per solam legis formam movetur. Sed voluntas cum sensibus coniuncta modo regulis propriis (*Naximen*) obtemperat; h. s. quæ a voluntate peculiari huius naturæ tanquam obligantes agnoscuntur. Sed voluntas sensibus obnoxia, ut regulæ suæ propriæ legi pratico-morali con-

sen-



sentaneæ cogitentur, velle oportet, & ut omnes ratione præditas naturas obligent; si lex universalis debet esse; statum singularem subiecti attingere non debent. Lex practica naturis sensibus subiectis est præceptum, & fore semper, ut actio sequatur, si ratio sola moveret hominem, affirmat. A lege igitur homines coguntur, atque ideo patet, necessitatem actionis voluntatis esse non posse, ubi non est libertas; ideoque, quamvis obstacula quædam actiones per legem moralem imperatas refringant, ea libertatem tamen non tollere, quæ est conditio sine qua non. In sensibus subiectis naturis non assidue ratio immediate & certo voluntatem movet, quæ conditionibus subiectivis, obiectivis non semper congruentibus, obnoxia sit; actiones igitur, quarum necessitas obiectiva, h. e. obligans omnes naturas rationales, noscitur, legis respectu subiective quidem etiam necessariæ sunt, sed eæ non sunt, quæ certo sequantur; saepe fieri potest, ut non statim lex sit efficax, ut superet omnium illecebrarum in contrariam partem momenta. Lex moralis ergo hominibus est præceptum, quarum cum natura non sit sola ratio, voluntas ad leges morales observandas cogitur. Sed tamen

tamen per praeceptum voluntas, qua voluntas, est movenda, non propter obiectum reale, non propter adpetitionem aliquam, non propter actionis effectus; hoc si esset, non esset obiectivum, non universale, non categoricum praeceptum, non omnium voluntatem obligans. Praeceptum enim, si propter obiectum movet hominem, utitur principiis empiricis, neque e ratione trahit originem; & tum agendi rationes repraesentatio obiecti sunt, quas nonnisi haurire ex experientia potest, & sensum ponit iucundi in subiecto. Si quaevis materia principii practici, tanquam impulsus ad agendum cernitur, quamvis subtilissima, atque etiam si voluptates animi mentisque purissimas efficit, idoneum non est principium morale universale, quia tantum subiective est; voluntas enim non ipsa sibi daret legem & principium, sed praescriptum solum efficiendorum sensibilibium obiectorum, admonitionesque cupiditatum satisfaciendarum contineret. Omnis quidem voluntas materiam habere debet, non autem ad voluntatem commovendam; quae non potest conditio regulae agendi esse; & ipsum fundamentum adigendae ad agendum voluntatis sola forma universalis regulae esse potest.

Quod



Quod efficere vult voluntas, est scopus. Unum eundemque habere scopum omnium naturarum ratio potest, si ratio eum persequi præscribit; quem propter eum ipsum & non propter alium, sed alios omnes propter hunc expetit. Hic nihil aliud est naturis ratione præditis, quam ipsa ratio; qui nunquam potest auferri, & huic præstantissimo scopo reliqui posthabendi sunt, quos possint propensiones cupiditatesque persuadere. Hic scopus omnibus in rationalibus naturis est agnoscendus; in toto enim mundo non est natura, in qua finis sine conditionibus fit; finis autem extremus supremusque conditionibus esse adstrictus & pendere ab aliis non potest; alioqui enim nec vocaretur supremus.

Homo est unum phænomenon, in qua inest vis transcendentalis; causa igitur quædam a sensatione & ab ipso phænomeno distincta, libertate, conatu intrinseco operandi prædita; de qua, quo consilio fit, non est quærendum; To esse ( existens ) eius finem supremum habet; nisi nullus finis supremus est! nam omnia, quæ sunt, causam, quæ finem actionum suarum sibi proponat, habeant, necesse est; alioquin non esset finis rerum universalis su-

b

pre-

premus. Homo est sola natura, quæ finium  
 perfequendorum gratia agit. Si itaque finis  
 non esset supremus, qui tamen in aliis nisi ho-  
 mine esse non potest, nusquam in finibus per-  
 sequendis ille conquiesceret; & fieri non pos-  
 set, ut ullus finis actionum eius esset. Homo  
 igitur non est finis subiectivus, qui propter  
 alium expetatur, sed obiectivus, h. e. natura,  
 quæ suapte rationali natura est finis; non alius  
 demum scopi gratia. Si itaque principium  
 practicum est, tale esse debet, quod necessario  
 omni rationi finis sit; cuiusque fundamentum  
 principii sit: ratio est finis propter se ipsam.  
 Tali modo homo *Tò* esse sui ipse cogitare de-  
 bet; hoc modo etiam est principium actionum  
 eius subiectivum huius respectu principii; ra-  
 tio est finis suamet natura; recte itaque *Kant*  
 formulam regulæ actionum sic exprimit: Ita  
 age! ut ratio hominis & in te, & in aliis fi-  
 nis tibi sit actionum; utque nunquam illa tan-  
 quam adiumentum ad finem alium utaris. Si  
 rationes particulares voluntatis conceptui con-  
 venientes cum lege universali congruunt, &  
 essentialibus rationis cuiusvis finibus conve-  
 niunt, unaquæque regula moralis etiam hac  
 conditione conveniens ad legem naturalem pro-  
 fyfte-



systemate finium cogitatur. Quia igitur omnis practicae legislationis fundamentum obiective in regula & forma universitatis, subiective autem in fine positum est, & homo, qua ratione praeditus, subiectum est, sequitur ex hoc principio, ut omnis obligatio hominis ex motivo quodam rationali, ex certo fine profluat; & ex illo tertium principium practicum morale derivari potest, tanquam summa conditio convenientis voluntatis universali practicae rationi, nempe idea voluntatis omnium rationalium tanquam universalem legem constituentis voluntatis, & formula praeepti ex illo derivati haec est: vive convenienter talibus regulis propriis quas tanquam legislator universalis omnibus naturis ratione praeditis dare possis! Nisi si voluntas universaliter leges dans se obiectum actionum facit, practicum principium, cui obtemperet, carens adiunctione. Sed ita lex moralis absolute necessaria a priori ratione pura stabilita est.

Omnia alia quam Kantianum priora principia (exc. Christiano & Stoico) hominem non consideraverunt obedientem legislationi suae, & voluntas dicta est, mota per aliud quam ipsa erat, per coactiones instinctus & per appetitus.

In *Annalibus Gættingensibus literariis* h. a. No. 2. in recensione *Menonis* auctore *Snelio*, est opinata quidem refutatio Pr. Kant. & defensio principii amoris sui, sed quibusnam rationibus, lector benevole, audias, quæso.

Recte dicitur hac in recensione, & res ita se habet, systema Kantianum & hoc amoris sui, aut tuam felicitatem ratione quære! ratione niti; sed consequentiis etiamque derivatione officiorum differunt, quod *Recensens* negat, & *Kantio* palmam dare non vult. Principium felicitatis quidem nititur ratione, nam ratio jubet felicitatem quærere, sed si felicitas est motivum, ex hoc principio derivatæ actiones non ex ratione petuntur. Ratio movens hoc modo non esset in ratione sita, & in determinandis actionibus liberis non quæretur, quid circa quamvis vellet ratio; quam quid iucundi vel ingrati exinde sit redundaturum ex ratione aliena movente. Regula principii amoris sui suadet; principium a *Kantio* practicum constitutum, & congruens cum illo lex primaria iubet; hæc quidem, ut supra dictum est, etiam imperat amorem sui, sed hic amor non est ratio movens voluntatis; non est regulæ conditio. Si autem fortasse *Rec.* credit,



dit, principium suum non eam vim habere, ut propter iucundum, quod amor efficit, se amare omnis homo debeat, principium eius Kantiano est congruens, nec ullæ lites relinquuntur; inusitata modo vi vocabulum *amor sui* adhibet, quo sæpissime de propensione utuntur, excepta Christi religione, in qua etiam, officia erga se observanda sunt, significat; sed Rec. illo hac potestate non utitur, quod inde patet, cum dicit: *Befördere dein Wohlseyn mit Vernunft*: nam felicitas ab omnibus naturis varie sumitur. Scilicet quidem per ipsam rationem nostram obligamur ad bonum adpetendum & malum adversandum; sed principium universale esse non potest, non summa atque centrum quasi legum; quia inter sese discrepent sententiæ, necesse est; & quævis natura felicitatem variis in rebus, quod iamiam diximus, statibus conditionibusque quærit.

Omnia vitia ergo hoc principium permittit, quibusque rationibus Recensens contrarium probare velit, nescio. Fortasse; quia conscientia pungat male facta? sed quam obrem conscientia castigat, si per haec facta felicitas acquiritur? nam opinio diiudicaret, an per fraudem, improbitatem, scelera &c. felicitas efficeretur;

b 3

quia

quia sæpe felicitas in opinione constat. Hæc opinio autem de felicitate esset in doctrina, quæ amorem sui principium facit, unicus iudex actionum legitimarum & summus. Sed profecto ita se res habent, ut, quoniam *Rec.* vult, vitiorum emendatricem legem moralem esse oportere, commendatricemque virtutum, ipse aut alii, qui iucundam vitam degere eamque per iniustitiam parare nollint, huius iustitiæ non a principio suo, non ex appetitu iucundi vel iniucundi rationem ducant, & ut natura melior, h. e. ratio, non semper ex principio amoris sui officii initium repetat. Nam nemo tam audax unquam fuit, ut defensionem facinoris a ratione iure aliquo peteret, ab hac gignitur fuga desidiæ libidinum voluptatumque contemptio; dolorum laborumque susceptio; multorum magnorumque, recti honestique causa; & hæc continet legem, neque hominum ingeniis excogitatum, ex arbitrio illorum pendentem, ex sensu illorum felicitatis diiudicandam, sed æternam. Quod si felicitate officium & lex constitueretur, officium & lex esset: latrocinari, adulterare, testamenta falsa supponere.

*Rec.* sic pergit: „In primo (Kantii nempe)

fy-



systemate est quærendum, quæ & qualia principia universalia nos velle possimus, quæque adeo constantes voluntatis fundamentales leges sint? In altero autem, (amoris sui nempe) est confestim quæstio primaria: Quid nobis ratio necessario præscribat? Si igitur est immutabilis voluntatis lex, suam salutem adpetere, velle non posse, quod ab omnibus partibus consideratum, antecedente optima deliberatione & consilio, quatenus fieri potest, nostræ saluti vere contrarium, neque minus quidem malum, melius & magis desiderandum, quam contrarium sit; perspicuum est, Kantianum formale principium non alia determinata (materialia) principia dare posse, quam quæ legi amoris sui, & felicitati propriæ convenientia sunt. <sup>66</sup>

Minime gentium! *Kant* non vult principia materialia constituere, quia non sunt moralia, quia non universalia, quia non assidue rationi consentanea esse possunt, quia non causa efficiens actionum esse debent. Sæpe etiam Kantii formale principium legi, ut *Rec.* nominat, amoris sui est contrarium; quia hæc singularis regula (*Maxime*) non motivum voluntatis esse, sed homo a ratione præceptum se amandi accipere debet. Sin autem actio,

b 4

quæ

quae amorem sui adiuuare possit, legi supremae contraria est, officium hominis est, contra sui amorem agere. Kantianum principium etiam ex experientia confirmari posset, si principium formale experientia probare, licitum esset; actiones multorum qui pro patria, religione, amicis virtuteque maximos cruciatus mortemque liberam tulerunt, non ad haec praeclare & recte facta per amorem sui moveri poterant, potius felicitatem suam (nisi principium aliud quam felicitas esset) non adjuverunt. Et sic omnia officia, quae cum damno coniuncta sunt mortemque postulant, ex systemate amoris sui non proficiscuntur, & fac fieri posse, nonnisi per petitiones principii & per multas ambages derivari possunt, & tamen haec officia & propter haec facta laudem, observantiam venerationemque efficiunt homine in unoquoque exculto. Kantii principium quidem, amorem sui, qua naturalem admittit, sed ea conditione, quatenus couenit morali cum lege. Principium felicitatis probat arrogantiam, cum amor sui auctoritatem legislatoris sibi arrogat; sed praeclare Kantiano in systemate repellitur. \*)

\*) Critic der pr. Vern. p. 146. *Es ist sehr schön, aus Liebe zu Menschen und theilnehmendem Wohlwollen ihnen Gutes zu thun, oder aus*



Ab altera , Rec. pergit : parte , si sunt. im-  
 b 5 me-

Liebe zur Ordnung gerecht zu seyn, aber das ist noch nicht die ächte moralische Maxime unsers Verkaltens, die unserm Standpunkte, unter vernuenftigen Wesen als Menschen angemessen ist, wenn wir uns anmassen gleichsam als Volontaire, uns mit stolzer Einbildung ueber den Gedanken von Pflicht wegzusetzen, und uns, als vom Gebote unabhængig, bloss aus eigener Lust das thun zu wollen, wozu uns kein Gebot noethig wäre. Wir stehen unter einer Disciplin der Vernunft, und muessen in allen unseren Maximen der Unterwerfigkeit unter derselben nicht vergessen, ihr nichts zu entziehen, oder dem Ansehen des Gesetzes (ob es gleich unsere eigene Vernunft gleich) durch eigenliebigen Wahn dadurch etwas abzukuerzen, das wir den Bestimmungsgrund unsers Willens, wenn gleich dem Gesetze gemæß, doch worin anders als im Gesetze selbst, und in der Achtung fuer dieses Gesetz setzen. Pflicht und Schuldigkeit sind die Benennungen, die wir allein unserm Verhältnisse zum moralischen Gesetze geben muessen. Wir sind zwar gesetzgebende Glieder eines durch Freiheit moeglichen, durch praectische Kenntniß uns zur Achtung vorgestellten Reichs der Sitten, aber doch zugleich Unterthanen, nicht das Oberhaupt desselben, und die Verkennung unserer niederen Stufe, als Geschæpfe, und Weigerung des Eigenduenkels gegen das Ansehen des heiligen Gesetzes, ist schon eine Ab-

mediate per naturam rationis constitutæ leges actionum liberarum, hæ ante ab rationali philautia sunt agnoscendæ, & ea quasi iubente perficiendæ. “

Quam ob rem? Ab homine nimirum sunt leges agnoscendæ & diiudicandæ, non autem ab amore sui, sed ab homine, qua rationali natura. An sit philautia rationalis, antea est ab ratione diiudicandum; amor sui tantum est propensio ac adpetitus suæ salutis curandæ. Nemo unquam tam temerarius fuit, ut amorem sui in ordinem vis iudicandi collocaret, ut hoc loco Recensens. pergit:

„ Facile igitur constat, Kant. principium formale, eisdem positis, sub quibus principium felicitatis ab iusto & honesto deducere potest, a similibus aberrationibus non reddere nos tutos. “

Tum demum principium Kantianum securitatem non præberet, si amor sui ratio movens actionum fieret. Sed hunc amorem principium formale non adprobat, præterquam quando cum fine hominis summo, cum ipso morali principio est consentaneus. O qualem repugnantiam! in verbis Recensentis, principium

mo-  
*truennigkeit von demselben, dem Geiste nach,  
 wenn gleich der Buchstabe desselben erfüllt  
 werde.*



morale ipsum non morale esse possit, aut improbitatem probare & ab virtute deducere. Hoc non habet appetitus, qui ab honesto deducant.

„ Qui credere potest, aliis aut vi aut dolose sua eripere, uno verbo, contra genuinas iustitiæ leges ( ubinam autem hæ veræ leges sunt? quo in alio quam systemate formali, in quo nonnulla determinatio voluntatis per rationem mansit.) humanitatisque agere suæ felicitati congruenter esse, is etiam neminem non rationalem hominem suo loco pari modo acturum credet. “

Neutiquam! appetitus quidem huic iniustitiæ consentire possunt; vere se potest amare, qui propter amorem sui iniuste agit. Nam quæ alia res iustitiam actionis in systemate Recte iudicare potest & debet, quam philautia? Atqui homo credit, illi congruenter nunc agere, si non iniuste, forsan propter eventus, facere vult, facit, quia veretur, ne, sua iniustitia patefacta, ei in posterum nemo sit confisurus, & ne maiora sensibilia bona amissurus sit. Sed quando hos eventus non videt, sublato suppliciorum metu, nec angore conscientie cruciatur, & iniustas actiones propter amorem sui ad-

adprobat. Etsi omnino tutius est regulam prudentiæ tenere; meæ salutis aliorumque prodesse. Tamen accidere potest, ut iniustum factum quod & principium practicum formale, quod & ratio reprehendit, emolumentum præponderans conciliare possit, e. g. pupillum filium inimici, meæ fidei commissum male educare; consiliorum meorum per eum consequendorum causa, si nemo videt, nec quisquam punit. Alio modo principium formale iudicat, & tristissima res esset, nisi ratio alio modo iudicaret, quam amor sui; nam illa non ad suum commodum refert, quæcunque agit; per se virtutem expetit & colit, non præmio metitur. Hæc illico videt, iniustum factum non posse ex lege universali proficisci, quia, si omnes ita iniuste agerent, regula huius facti se ipsam disiiceret; nemo enim filium suum alius cuius fidei committeret, si credere possit, fore, ut hic male educetur.

Principium practicum quidem nunquam propter eventus agere iubet, & semper per se ipsum, honeste vivere, imperat, sine metu eventuum, qui ex contrariis factis oriri possunt, quia ratio improbat, rationi subiectivæ auctoritatem legis universalis tribuere, quæ certe  
hæc



hæc esse nunquam potest. Voluntas itaque  
 pura regulas singulares principium universale  
 nunquam facit, per quas ad eventus factorum  
 ex illo proficiscentium habendus respectus es-  
 set. Si homo igitur propensionibus etfi pu-  
 rissimis optimisque satisfacere sibi propositum  
 haberet, cultum mentis, magnum animum be-  
 nevolentiamque, & motivum ex his propen-  
 sionibus ducere vellet, ratio tamen movens  
 voluntatis versaretur in sensu iucundi & in-  
 grati, quem ex his factis expectaret; hoc ta-  
 men respectu ei perinde esset, quamcunque  
 tandem huius sensus acquirendi viam iret, &  
 modo quæstio esset, quam diu, quam sæpe,  
 quam facile acquirere sensum iucundi possit.  
 Hæ res rationes moventes essent, nam qua-  
 cunque ratione eas adipisceretur perinde ei es-  
 set, tummodo scopum vellet. Quum autem  
 semel a ratione discessum est, ipsæ voluptates  
 se impellunt, nec reperiunt locum consistendi;  
 quamobrem nihil interest, moderatasne volup-  
 tates adprobent, an modo summas simplicis-  
 simasque. Felicitatem ut cupiamus, amor sui  
 quidem postulat, eamque nemo non appetit,  
 & nunquam fere homo potest animum indu-  
 cere, ut naturam ipsam vincat, ut amorem sui  
 eiiciat

eiiciat ex animo, nam indigentia naturæ eum  
 postulat; sed ab hac pendet, quibus in rebus  
 & statibus felicitas ponatur, & quæ iucundi-  
 tates ex illis capiendæ sint; & hac de causa  
 hæc ratio materialis movens non potest lex  
 moralis esse, quæ voluntatem omnium ratio-  
 nalium obliget. Felicitas modo subiective vo-  
 luntatem movet; huius etiam subiectivi motivi  
 homo indiget, sed ex hoc nihil aliud sequitur,  
 quam ut non semper recte, non honeste agat,  
 utque lex moralis ei præceptum sit, ut amo-  
 rem sui propensionesque coerceat. Fac, hoc  
 fortuito accidere, quod tamen fieri non potest,  
 ut omnes homines eandem de felicitate sen-  
 tentiam habeant, atque adeo ut de viis eam  
 assequendi consentiant, tamen a priori confici  
 non potest; nam viæ experientia duce mon-  
 strandæ sunt. Sapiens & iustus, iustitia & sa-  
 pientia a rebus sensibilibus, a fortuna pende-  
 rent, subiectique essent variis incertisque casu-  
 bus. Sed talis congruentia hominum ficta nun-  
 quam fieri potest; nam obiectum quidem desi-  
 deratur, h. e. salus felicitasque, sed unusquis-  
 que suo modo felicitati confuleret, unusquisque  
 conceptum felicitatis suum persequeretur; inde  
 regula ratioque tollerentur, si illa universalis  
 esset;



esset; etsi enim in amore sui cura aliorum  
 felicitatis simul consilium esset, tamen semper  
 suam suo conceptui congruentem felicitatem  
 persequeretur; etsi lex universalis esset, ut  
 nemo non suam felicitatem expetat una cum  
 aliorum salute; sæpissime tamen accideret, ut  
 hæc lex sibi ipsa repugnaret, quia in homi-  
 num naturis, teste Cicerone, dissimilitudines  
 sunt, ut alios dulcia, alios subamara delec-  
 tent. Exceptiones igitur, quas quisque a re-  
 gula facturus esset, propter naturæ imbecilli-  
 tatem & propter obstacula multa in generali  
 regula comprehendi non possunt, ut *Kant* di-  
 xit, quia experientia necessario infinita esse de-  
 beret. Ut felicitas aliorum etiam universalis  
 voluntatis ratio movens sit, fieri non potest.  
 Obiectum voluntatis rationalium quidem esse  
 potest, & est, sed non ratio movens in ethi-  
 cæ principio; nam cura aliorum felicitatis non-  
 nisi a pura forma legis moralis determinatur;  
 nam qua de alia causâ esset persequenda, nisi  
 lex moralis ipsa præceptum daret? sed eadem  
 de causâ, quia sumit propensiones felicitas  
 aliena omnium, rationi esse motivum volun-  
 tatis non potest, nam in transcendentalibus  
 naturis, h. s. quæ non cadunt in sensus, indi-  
 gen-

gentiam aut propensiones ponere non licitum est. Nam Deo inesse non possunt propensio & indigentia. Materia igitur regulæ legisque maneat, sed non tamquam ratio movens, quæ una forma rationis esse potest. Prudentia humanæque naturæ cognitio scilicet in hoc genuino & practico ethicæ principio sumendo necessariæ sunt atque expetendæ, quia iubet lex moralis felicitatem efficere, & hoc optime fieri potest, ubi prudentia cognitioque humanæ naturæ est. Sola ratio autem & ejus principium sunt, quæ regulæ amoris sui & felicitatis valorem legis obiectivum dant; non ita tamen, ut felicitas & amor sui ratio voluntatis movens fiat, sed ita, ut forma legalis, forma universalis formaque rationis hæc semper maneat. Qui igitur a ratione petit suarum actionum originem, etsi diudicaretur ab iniusto stupidus & infirmus, nunquam huius iniusti prudentiam aut potius calliditatem quæsitit, nunquam prohibente id lege formali voluit, propensionibus satisfacere. Maiori jure probus sapiensque iniustum pro infirmo & imprudente habere potest, quia hic suis propensionibus, cupiditatibusque satisfacere vult, quod tamen sæpissime fieri nequit; sapiens tamen & bonus

fema-



semper honeste agere potest; ex officio enim agit, quod assidue obedientiam postulat, cuius repræsentatio autem unicuique animo observantiam exprimit; & omnes propensiones cupiditatesque coram illo obmutescunt.

Sapiens scit se magnum per personalitatem, & per libertatem a potestate aliena, a casibus naturæ ac mechanismo naturæ; etiam si corpus constringatur, rationi tamen vincula iniici nulla possunt. — Gratia igitur agantur Deo, quod vox rationis in omni homine valida firmaque est, ut omnes actiones, quas amor sui suadere possit, opprimere valeat. *Rec.* ipse videtur concedere hoc, dum pergit:

„ Quisque suam vitam iucundam, quatenus fieri potest, facere quærit, propensionesque non angustius circumscribit, quam debet.“ (Cur autem debet? Propter pœnas civiles ac arbitraria præmia? Bene! quod si vero nec alterum ei timendum nec alterum sperandum est, semper injuste faciet; nam systemati *Recensentis* est congruens, ut nemo actiones angustius circumscribat, quam debeat. Dic igitur *Rec.* doctissime, remedium impediens, præter arbitrarias pœnas aut præmia civilia, quando amor sui principium practicum manere vis. Aut forsan *Rec.*  
di-

dicere vult: esset modo generosissimis propensionibus satisfaciendum, & reliquis inferioribus, quoad his superioribus non essent contrariae; Experientia autem docet, homines, optimos ipsos, errantes esse; & cum crediderunt, generosae propensioni satisfacere, e. g. beneficia collocare, eadem de re dolorem eos sensisse, quia beneficia male collocata erant; nam etiam prudentissimus fallitur & fortasse saepissime, quando superioribus adpetitionibus satisfacit. Quomodo igitur felicitas lex universalis, quomodo ratio movens esse potest? si ergo per systema philantiae actiones efficerentur, quas etiam principium practicum formale probaret, eae tamen non essent genuinae morales, quia ratio movens non esset moralis, in qua tamen omnis virtus nititur. Illi ergo, qui systema amoris sui sumit, Ciceronis verbis est dicendum: Tu cum tibi sive Deus, sive mater (ut ita dicam) rerum omnium, natura, dederit animum (rationem) quo nihil est praestantius, neque divinius: sic te ipse abiicies atque prosterne, ut nihil inter te, atque inter quadrupedem aliquid putares interesse? Recensens nunc etiam se parat oppositiones contra amoris sui systema refutare.

„ a) Opponitur: virtutem non in eo consistere,



tere, quid fiat! sed e quibus rationibus aliquid efficiatur; systema non morale fieri, quod in fine ad easdem consequentias ducat, atque ad easdem actiones moveat, uti puræ moralitatis systema; sed virtutem pendere ab rationibus (Resp. Rec. sane! Qui autem systema rationalis amoris sui novit, is scit, unam primarum rectissimarumque consequentiarum eius esse, ut officia cognita efficiantur, nulla ullius rei ratione habita.“)

Hoc est, quod *Rec.* antea ne scivit. Hoc loco iustius concedit principium practicum formale, nam quid est aliud: *nulla ratione habita*, quam ipso honesto moveri, metum, cupiditatem, utilitatem, propensionesque omnes, motus fortunæ mutationesque rerum & temporum leves & imbecilles intelligere, si in virtutis certamen venirent. Sed si hoc est, consequentia hæc non ex systemate amoris sui derivari potest, nam in hoc sapientia non expeditur, si nihil efficit.

„ b) Amorem sui esse, impetum naturæ, opponitur, quem præscribere, non necesse esse. (*Rec. resp.* Amor sui etiam non imperatur, sed amor rationalis h. e. instinctus fit moralis per rationem. „)

Nullus instinctus fieri potest moralis, etfi per rationem duci circumscribique potest. Moralisis est sola ratio & actiones, quæ ex illa originem ducunt; & natura, quæ ex ratione agit. Amor rationalis sui imperatur a ratione legi practicæ congruens, quod præceptum in amoris sui systemate dari non potest; aut Reccensentis systema cum Kantiano est re congruens; aut quid fingit, quod non est systemati suo conforme. Si amor enim sui vim haberet, voluptates longissimas ac simplicissimas comparare, præcepto non opus esset; hæc quasi sensus titillant, ut ita dicam, & cum suavitate incunditateque percipiuntur. Hæc quasi naturalis atque insita in animis nostris inest notio, ut, voluptatem esse adpetendam, dolorem aspernandum, sentiamus. Regula tamen prudentiæ est, ut viae rectæ calcentur. Præceptum autem resistentes opiniones semper ponit propeñsionesque. Ut felicitas etiam summa efficiatur, nullo modo immediate officium, nec officii principium esse potest. Interest enim inter rationis conclusionem præceptumque, & inter admonitionem. Felicitatem jubere voluptas nunquam potest, universaliter autem non potest ratio, etfi considerate voluptatem adpetere



tere homini suadere valet, cumque non impedit officium maius. Sed voluptas non debet esse ratio movens; nam per præceptum accipere propensiones, superat hominum vires facultatesque; non est honestum etiam & virtus, propensiones habere; nam si ita se res haberet, & si per se essent expetendæ, tota ratio everteretur. Naturales sunt propensiones, non libero arbitrio subjectæ; etsi libertas eis resistere potest. Præceptum amoris sui autem christianum principio formali non repugnare, Kant in Critica rationis practicæ, p. 147 docuit, & illud extra omnem aleam positum agnovit.

c) „Virtus ita nihil aliud esset, quam stimulus ad voluptatem fruendam. (*Resp. Rec.* Ita nempe, ut homo nihil aliud quam animal esset, atque nil inter balbutientem infantis sermonem & eloquentiam interesset.“)

Discrimen, mea quidem sententia, est magnum. Propensiones enim eæque generosissimæ sensusque purissimi non sunt virtutes; nam animi dolores & voluptates nasci fatemur e corporis voluptatibus doloribusque. Si itaque ratio sola voluntatem non movet, illa non est facultas appetitiva superior. Homines ratiocinari non possunt, quæ actio emolumenta maxima & felici-

licitatem summam allatura sit. Quis enim omnem actionum exitum videt? Quis scit, quæ res in posterum suis propensionibus satisfactura, aut maximo numero gaudiorum eum adfectura sit?

„d) Homo, eo officio congruentior & sanctior viveret, quo magis in agendo ab hoc pendens felicitatis, quippe primi principii, primi consilii, conscius esset. „(R. Rec. Non sequitur. (v. a.) Homini in honeste agendo congruentiæ actionum cum felicitate sua vera sibi conscio esse licet; sed imbecillitati eius est congruentius, consilia proxima in agendo & principia tenere, si hæc semel recte determinata & ordinata sunt.“)

Si autem non sunt? Per principium amoris sui non sunt, nec fieri possunt. Per id, quod Rec. dixit, eius systema fit anceps; proxima enim principia naturæ agentis propter sui amorem sunt propensiones & satisfactio iis præstanda; & tamen recensenti omnium felicitas summa est scopus; itaque melius esset, hanc semper ante oculos habere. Sed fac, hoc ita esse, tamen non est honestum, non virtus. Rec. vitare fortasse modo Epicurei speciem vult; quia Epicurus voluptatem constituit summum bonum; prætereaque & adprehendi & re-



refugiendi, & omnino rerum gerendarum initia proficisci a voluptate aut a dolore, dixit, virtutemque esse nullam, nisi voluptatem efficeret.

„e) Sed conceptus felicitatis est empiricus, mutabilisque & controversus, difficultatibus circumdatus. Ut felix sit, non situm est in homine, uti pendet ab eo, ut sit moralis; quia hoc pendet ab voluntate bona. (Rec. R. ut felicitatem expetat, voluntati ita est necessarium, („Non nego, sed solum voluntati pathologicæ; & eadem de causâ præceptum non est necessarium“) quam intellectui studium cogitandi, & quod fieri nequit, contraria coniungere.“)

Sed tamen felicitatem acquirere, non est necesse. Exceptiones multas etiam habet dictum Recensentis, alias enim nemo contra salutem suam agere possit, si cognoscat eam, ut vetus dicit iam proverbium, quod cel. Tittel amicus philosophorum Goettingensium ita æstimat, ut credere possit, idem esse, ac Kantii separatio mundi intelligibilis & sensibilis: video meliora, proboque, deteriora sequor.

„Rec. pergit: Probitas in utroque systemate convenientia voluntatis cum optima cognitione maximaque, quæ est possibilis, nititur;“

(in Kantii systemate hac non nititur, quia cognitio perfectissima rerum salutiferarum apud homines non invenitur.) & , in adplicandis universalibus probitatis principiis ad negotia relationesque vitæ communis, difficultates eadem in utroque systemate occurrunt. “

Concedo; sed tamen principium universale aliud, quam felicitas, adsumendum est; & difficultates non pertinent ad rem, sed potius rationis præceptum de difficultatibus his vincendis. Solum enim est honestum, quod principio formali congruit; etiam amor sui comprimi potest, sed ratio repelli quidem potest, opprimi nunquam. Is tantum, qui est ratione fatis imbutus, excitare vires, eas regere difficultatesque apte tollere cognoscit.

Eiusmodi fere obiectiones contra Kantii systema omnes sunt; & tamen eius principium est tale, ut, quod per se ipsum possit iure laudari, solum supersit; quia docet, quid rectum, quid honestum sit, & cogit agere homines, etsi nullum emolumentum inde consecuturum vident; hominemque hominum adpetentem facit, nam quisque rationem habet. Kantius etiam non solum principium constituit, sed omnino universalem & absolutum finem, aut voluntatis obiectum; & summum bonum  
tu-



tius monstravit, quam quidem Stoici; quod  
 legem moralem ratio movens non anteit, sed  
 ipsum per hanc determinatur, quia foret, ut  
 empiricam per accessionem necessitatis notam  
 universitatisque amittat. Hoc obiectum mora-  
 litas ipsa est. Quia homo sensibus obnoxius  
 est, & ad virtutem stabiliendam & exercen-  
 dam momento rationis eget; Kant hoc etiam  
 monstravit, & ei est sensus moralis, qui im-  
 mediate rationis actiones sequitur. Efficacia  
 rationis iucunditatem & amorem actionum legi  
 congruentium generat. Sensus per sensus oriens  
 ab obiecto pendet, hic moralis autem, a ratio-  
 nis forma pendens & sensibus non obnoxius,  
 observantia nominatur. Obiectum eius est lex  
 moralis & nosmet ipsi, qua rationales huic  
 obediens naturæ. Ratio genuina movens est  
 ratio aut lex moralis ipsa, efficientiaque pen-  
 dens ab ipsa huius ratione movente, & non  
 ab iucundo aut ingrato corporis sensu.

Absoluta conditio, quam Kant protulit, est  
 religio, h. e. repræsentatio officiorum omnium,  
 tanquam Dei præceptorum. Mundus quia non  
 est moralis, & felicitas, qua nos dignos red-  
 dere debemus, in illo legi morali exactissime  
 a nobis servatæ non necessario coniuncta est, &  
 quia lex moralis iners esset, nulla spe certa fe-  
 licitatis consequendæ proposita; quædam ratio

summa perfectissimæ voluntatis! sumenda est, quæ omnium dignitati tribuat felicitatis modum; Kant itaque sumit animi immortalitatem. Moralitas autem ipsa non est per religionem efficienda. Hæc itaque est philosophia, quæ legem monstravit, qua consociati homines cum Deo putandi sumus, nam prima hominis cum Deo rationis societas est. Philosophia itaque, cui similitudinem cum Deo restituere propositum est, ut verbo omnia complectar, eandem laudem meretur, quam Cicero ei dedit: O vitæ philosophia dux! O virtutis indagatrix expultrixque vitiorum, quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu inventrix legum, tu magistra morum & disciplinæ fuisti, ad te confugimus, a te opem petimus: tibi nos ut antea magna ex parte, sic nunc penitus totosque tradimus. Tuscul. quæst. L. V. c. 2.

Ulterius progredi prohibet, cuius gratia pauca hæc præmissimus, solemnitas. Rediit tempus, quo discipuli nostri specimina profectuum in literis in Aede Reformatorum die XVI Augusti hora IX 1/2 antem. & III pomerid. edere, & quidam eorum orationes die XVIII Augusti sub horam tertiam pomerid. recitare jubentur.

Antistites omnesque Gymnasii Fautores, summo venerationis cultu observandi, ac quicunque literis & Gymnasio bene cupiunt, ut solemnia hæc præsentia sua concelebrare dignentur, omni, qua par est, observantia rogamus atque oramus.

Liste



# Liste der Schüler

welche  
kurze Reden halten,  
und welche nach geendigtem  
Actus oratorius  
Prämien erhalten werden.

Reden werden Sieben halten.

- 1) Carl Wilh. Georg Sethe, von Cleve, über die Beschaffenheit der Geschichte, wenn sie Nutzen und Vergnügen gewähren soll.
- 2) Fr. Wilh. Dethmar, von Cleve, über das Vergnügen, welches die Abwechslungen der Natur verschaffen.
- 3) Joh. Lud. Leon. Felderhoff, von Uedem, über den willigen Gehorsam, als eine Hauptpflicht eines wohlgearteten Schülers.  
(Diese drei haben ihre Reden selbst ausgearbeitet.)
- 4) Joh. Pet. Ad. Schriever, von Cleve, über die Pflicht, große Männer im Andenten zu behalten.
- 5) Wilh. Ant. Walr. v. Kenesse, von Cleve, über die Vortheile des Andentens an große Männer für den studirenden Jüngling, in Rücksicht seiner sittlichen Bildung.

6)

- 6) Joh. Heinr. Zagenberg, von Cleve, fährt  
in der Entwicklung des erwähnten Gegenstands  
des fort.
- 7) Casimir Götte, von Narva, beklammert mit  
einigen Abänderungen Schubarts Ober Die  
Grust der Fürsten.

Prämien für ihren Fleiß und Wohlverhalten  
werden bekommen:

Von der 1sten und 2ten Classe:

- 1) Carl Wilh. Georg Sethe.
- 2) Fr. Wilh. Dethmar.
- 3) Joh. Lud. Leon. Felderhoff.

Von der 3ten Classe:

- 1) Joh. Pet. Ad. Schriever.
- 2) Wilh. Ant. Walr. v. Renesse.

Von der 4ten Classe.

- 1) Ehr. Diedr. Heinr. Sethe.
- 2) Joh. Heinr. v. Forell.

Von der 5ten Classe.

- 1) Joh. Carl Wilh. Grote.
- 2) Heinr. Wilh. Uhlenbruch.









837.27

**ULB Halle**  
007 668 945

3







Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



DE  
PRINCIPII MORALIS SUPREMI,  
FORMALIS, FIRMI UNIVER-  
SALISQUE  
**UTILITATE**

AC  
**NECESSITATE**

DISSERIT,  
**ET AD EXAMEN ANNUM**  
ET  
ACTUM ORATORIUM  
GYMNASHII,  
QUOD CLIVLE EST,  
A. D. XVI. XVIII. AUG. MDCCLXXX.

HABENDA,  
INVITAT  
C. F. W A C H T E R,  
GYMNASHII CONRECTOR.



CLIVLE,  
TYPIS MOELLERI.

